



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Jejunium conducit corporis valetudini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Deum per jejunia destinemus. S. Ambr. de Elia, & jejun. c. 7.

Semper virtuti cibus jejunium fuit. S. Leo l. 2. de jejun. dec. mens.

Per jejunium ordinatur homo ad seipsum, per orationem ad Deum, per elemosynam ad proximum. S. Bernardinus l. 5.

Jejunium, in quo est mortificatio carnis, cum Christi carne conformitatem habet, quæ morti tradita est. Hugo Card. in c. 7. Matth.

§. III.

Jejunium conducit corporis valetudini.

Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nonaginta triginta. Gen. 5. 5. Unde tam longævi tunc homines? Percirus: sobrietas: neque enim carnibus, aut vinò, utebantur.

Ue scitis, quid comedere, & quid respuere, debeatis. Levit. 11. 47. Cur tanta de cibis vitandis cura? Oleast. Unde, quæso, ô homo meruisti Deum medicum habere? Percurre c. 5. Gen. ab Adamo ad Lamech, ibi vita hominum ultra septingentos annos prorogata. Ratio multiplex Lyrano: secunda est, quia temperatè vixerunt. Velloso in Judith 1. Parænet. 2.

Maducare panem. Luc. 14. 1. Christus invitatus fuit à viro nobili. S. Thomas Aqu. 3. p. q. 14. a. 4. ait Christum D. bene valuisse, quia semper ei tenuis mensa fuit.

Abstinencia, & jejunium, sanitas est corporis, valetudo membrorum, mors culpæ, fundamentum castitatis, ac vitæ diuturnitas. S. Laurentinus Just. de sobriet. c. 2.

Perunt, Galenum decimæ dici abstinentiam, locò efficacissimæ, & saluberrimæ, medicinalis curæ, indixisse: nec facile posse, nisi corruptionis naturæ sit, morbis gravioribus subjacere qui decimâ quâque die ab omni cibo abstinet, aut simplicissimâ diætâ transigit vitam. Et Cælius Rhodiginus l. 30. Antiqu. lect. c. 12. memoriæ proditum est, Galenum centum quadraginta annos vixisse; tantâque in cibo, & potu, abstinentiâ usum, ut ad satiætem nunquam comederit, aut biberit. Cornel. in Eccl. c. 18.

Jejunium verum etiam sanitati corporis conferre, doctè ostendit D. Virings Medicinæ Professor Lovanienfis in lib. de jejun. medic. Eccl. in vere enim ebullit sanguis, & humores cæteri; qui febres, aliosque morbos, procreant; nisi jejuniò, & abstinentiâ, & piscium frigore, restringantur. Cornelius in Matth. 4.

§. IV.

Jejunium prodest animæ

Ex Veteri, & Novo, Patribus, & aliis.

Certi sunt iniquitate, & impietate sua. Pl. 72. 6. Ipsum jejunium operimentum est; Denique nisi Sanctum Joseph

Eolyanth. Sacr. Tom. I.

texisset sobrietas jejuna, adulteræ protervitas exuisset. Quò jejuniò si se tegere voluisset Adam, nudus non fuisset effectus. Sanct. Ambrosius hic.

Ossa arida audite. Ezechiel 37. 4. 5. *inmittam in vos spiritum.* Ossa arida sunt personæ abstinentes à delicijs: in istos mittit Deus Spiritum Sanct. S. Vincent Ferr. l. 1. in Pent.

Fame pere. Luc. 15. 17. Fames revocat, quem saturitas exularat. Et, si tantum præstitit vel in vita fames; probate, quid voluntarium possit conferre jejunium. Sanct. Chrysolog. l. 2.

Quotquot viros virtutum vidimus, sine jejuniò non legimus ascendisse: nec aliquid magni moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, jejuniis incubuere, & lacrymis; & pernoctantes in orationibus, ciliis carni hærentibus, supplices beneficia postularunt. Si Moysen, & Aaron, & Samuelem, hodie haberet Ecclesia; cum invocarent, exaudirentur, ut orantibus Job, & Noe, & Daniele, populo parceretur. S. Cyprianus de jejuniò Chr.

Jejunium refectio animæ, cibus mentis, est. S. Ambros. l. de El. & jejun. c. 2.

Ipsa sicca anima, est sapientissima, & optima. Clemens Alex. l. 2. pædag. c. 2.

Ad divitem Dei gratiam pervenitur jejunâ, & sterili paupertate membrorum. S. Dorotheus Eucharistico de vita sua.

Jejunium animæ nostræ alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impingat corpus; ita & jejunium habiliorem efficit, & valentior. Leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat; voluptatibusque, & omnibus, quæ in hoc Mundo habentur, sua via, ipsa sit superior. S. Chrysost. hom. 1. in Gen.

Jejunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentium pædagogus, continentia magister: quod omnem ætatem, & sexum, quasi diademate quodam ornat. S. Chrysost. hom. 2. in Gen.

Sta tantum prope jejunantem; & ipsius statim odoris suavitatem sensisti: unguentum enim jejunans est spirituale; & per oculos, & per linguam, & per omnia, bonam animæ demonstrans dispositionem. Idem hom. 10. ad pop. Antioch.

Ob id etiam jejunium bonum est, quòd omnem circumcidit animi sollicitudinem; & eam, quæ circa mentem effunditur, curam humilium, abjectarumque rerum, contrahens facit, ut tota in se ratio ipsa vertatur. Idem lib. de Virginit.

Ebrietas, & luxuria, stantem everterunt civitatem; commotam solidavit jejunium. Idem hom. de jejunio; vide ibidem plures jejunii laudes.

A tempestate, & procella, quam ebrietas generare solet, liberati, in portum animarum nostrarum, jejunium, inquam, pertingere contingat. Id. hom. 1. in Gen.

T r t

Q u e m